



1866

**DE**  
**POPULI ATHENIENSIS POTESTATE**  
**QUOMODO ORTA, AUCTA, EXCULTA SIT.**  
**PARS PRIOR.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI  
CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

D. XXXI. M. DECEMBR. A. MDCCCLXVI.

HORA XI.

IN

AUDITORIO MAXIMO UNA CUM THESISIBUS

A SE PROPOSITIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**JOHANNES FRIDERIGUS LENZ**

PALAEO-MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

E. A. VOIGT, CAND. PHIL.

H. G. MEHMEL, STUD. PHIL.

Bibliothèque Maison de l'Orient



158071

HALIS SAXONUM.

RMIS PLOETZIANIS.



## Praefatio.

Quum mihi propositum sit Atheniensium populi potestatem accuratius perlustrare, i. e. quomodo sit orta aucta exulta demonstrare, priusquam ad rem ipsam aggrediar, cum Atheniensium civitatis originem tum, quae variae in illa fuerint formae, paucis mihi liceat explicare.

Sed quae nobis de Attica ab antiquissimis temporibus tradita sunt, nimis incerta esse valde dolemus; saepius enim ii, qui de hoc tempore scripserunt, vel plane silentium observant, vel ut expleant quasdam lacunas, narrant multa, quae quidem a populo tradita acceperunt, sed temporis decursu adeo permutata sunt, ut profecto difficile sit intellecta, quid sit satis in iis probandum. Itaque et quae facta et scripta sint saepissime non tam historia duce quam conjectandi via assequi cogimur, quae quoties parvi sit aestimanda verba facere supervacaneum videtur. Quod quidem prohi dolor non solum in pristinam cadit aetatem, verum etiam in recentiorem cujus scriptores fide digniores videantur atque rebus ab aequalibus gestis magis imbuti, ita ut vel Herodotus praestantissimus omnium illius de quo agitur temporis scriptor saepissime dubia sit auctoritate, nedum grammaticos et qui nominantur lexicographos commemorem. Alia quoque, si quidem illos volumus sequi difficultate laboramus, quippe qui posteriore tempore viventes opera sua ex prioribus excerpserint, et quae illis vel diversissimis temporibus tradita sunt, adeo persaepe permiscuerint, ne iisdem plane addicti videamur valde cavendum est. Atque ut ejusmodi perturbationis vel unum exemplum afferam, Stephanus Byzantinus modo decem modo duodecim modo tredecim Athenis tribus fuisse plane contrarie tradidit; minus tamen perturbata sunt quae Photius Harpocration Pollux afferunt, qui civitatem Atheniensium non nisi in decem tribus distributam prodiderunt. Plura autem et ea quidem certiora ii, quam qui prioribus temporibus Atheniensium res gestas tractarunt, ad ea quae nobis

proposuimus contulerunt; etiam plura oratores, quorum etsi fidei historicae ne nimis concedamus, sana quidem ratio commonet. Quorum oratorum fere omnes uni illi legislatori tribuenda esse civitatis instituta et leges judicant, nec sane causa est difficilis perspectu; tenendum enim est, illos omnes si modo fieri poterat in Atheniensium republica leges ad unum illum Solonem referre, etiamsi illas eo demum quo vigeat plebis potestas tempore confectas esse constat. Velut etiam Demosthenes heliastarum juris jurandi institutionem Soloni assignat, quamquam id, sicut ex jurejurando ipso intelligitur, quingentesimum circa annum a. Chr. n. ea, quam accepimus forma institutum esse nunc quidem extra dubitationem positum est. —

Recentiores autem auctores quos maxime secutus sum hi sunt: Georg Grote: *Geschichte Griechenlands*, übersetzt von N. N. W. Meissner; Duncker: *Geschichte des Alterthums*; Curtius: *Griechische Geschichte*; Boeckh: *Staatshaushaltung der Athener*; Wachsmuth: *Hellenische Alterthumskunde*; Schoemann: *De antiquitatibus publici juris Graecorum*; C. Fr. Hermann: *Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer*; Schoemann: *Griechische Alterthümer. De horum virorum doctrina quum huic tantillo spatio alienum sit in universum judicare, tamen suo quemque loco, qua par est diligentia, perlustremus.*

Quoniam de fontibus generatim saltem disserui, nunc quo ordine ingrediamur ac quae sit rerum tractandarum series commemorandum est. Ac primum quidem de regum et de optimatum dominatione, deinde de Draconis legibus justa brevitate disputabo, plura tum de Solonis institutis i. e. de Atheniensium populi potestatis initiis afferam; Pisistrati et Hippiae filii regiminis mentione facta tum Clisthenis perfectoris illius reipublicae instituta accuratius tractabo et populi quidem partitionem in tribus et demos. Postquam porro quae ex prioribus institutis ille servaverit, explicavi, senatum, comitia populi judicia pervestigare conabor, neque tamen praetermittam, quae et de magistratibus sorte creandis et de ostracismo sint commemoranda. Populi denique potestatem, quum Aristides bellis contra Persas prospere confectis

omnes omnium quatuor ordinum cives creandos instituisset, ad majorem libertatem processisse obiter ostendam.

## Caput I.

### *De primis Atheniensium civitatis initiis.*

Attica terra quum saepe sterilis ac saepe tenui tantum humo cooperta et petrosa esset et peninsula instar in sinum Aegineticum porrigeretur, ab omnibus migrationibus, quotcunque Graeci antiquissimis temporibus suscepisse feruntur, integra relicta est; quamobcausam intestinae quoque illius terrae res quippe quae minus quam aliis in civitatibus Graeciae percussae ac labefactae sint paullatim progressae magis magisque creverunt. Postremo autem illa Heraclidarum magna migratio permultum valuit ad Atticam, quam multi Jonici generis principes clarissimi ex Peloponeso depulsi peterent ut refugium sibi pararent. Velut Nelidae Messenii, quorum princeps Melanthus eo, quod Thymeta<sup>1)</sup>, ultimus ex genere Thesei prognatus, regno expulsus erat Atticae rex creatus esse dicitur<sup>2)</sup>. Quod post acerbatas diversarum nobilitatis partium dissensiones evenire potuisse ex iis quae posteriore tempore ortae sunt dimicationibus elucet. Post mortem Codri, cum Melanthi filii de imperio certarent, inter tres ex eo natos Medon victor evasit, Neleus autem et Androcles frater cum iis qui rebus ipsorum favebant in Asiam profecti sunt.<sup>3)</sup> Sed quam antea reges potestatem habebant, ea haud ita multo post minuta est regisque nomen omnino sublatum, ut principes civitatis postero tempore non reges sed archontes nominarentur. Ac Medon primus est archon perpetuus; archontes perpetui saepe dicti sunt reges et sane fuerunt quodammodo reges sed jam, ut graece loquor, ὑπεύθυνοι, quum priores erant ἀνυπεύθυνοι.<sup>4)</sup> Videtur igitur inter archontes et reges hoc maxime interfuisse, quod illi eorum quae fecerant rationem reddere debebant.<sup>5)</sup> Eo autem factum est, ut

1) Vide Meier de gent. Attic. pag. 46.

2) Vid. Pausanias II. 18. 7.

3) Pausan VII. 2. 7, Strabo XVI 1. pag. 633.

4) Pausan. IV. 5. 10.

5) Euseb. quoque perpet. arch. reges vocat atque in decennialibus

optimatum potestas magis magisque augetur, minueretur Nelidarum.

Eusebius inde a septingentesimo quinquagesimo secundo anno<sup>1)</sup> unum decimo quoque anno archontem atque eum quidem ex Medontidarum genere institutum esse tradit, sed post quadraginta jam ut videtur annos quum Hippomenes<sup>2)</sup> quidam sceleste aliquid in filiam suam commisisset, potestas illis adempta est et inde a tertio XVI. olymp. anno (DCCXII a. Ch. n.)<sup>3)</sup> institutum: ut omnes optimates decennalis archontis dignitate ornari possent. Sed tres tantum decennales archontes commemorantur, quum haud ita multo post optimatum potestas ita augetur, ut tantam dignitatem per decem annos uni non concederent, quam ob rem novem annui creati sunt, quorum princeps archon eponymus erat. Quam dignitatem cum primum primo vel secundo anno XXIV. olymp.<sup>4)</sup> Creontem quendam<sup>5)</sup> obtinuisse aperte traditum sit, ex eo tandem tempore, ea quae de Atheniensium civitate produntur, magis autoritate commendabilia videntur, nam priora tempora ita sunt in tenebris ac dubitatione relictas, ut plurima conjecturae debeantur. Tametsi, quae a Creontis aetate usque ad Solonem accepimus, satis certa videntur, in singulis tamen non satis accurate sunt scripta nec fere quicquam possumus ex iis colligere, nisi reipublicae forma commutata potestatem optimatum in dies crevisse, populi magis magisque oppressam esse. Atque haec quidem res sua sponte elucet. Medontidae enim quam diu clavum imperii tenebant populi in seditiosos optimates auxilio saepe utebantur ac propterea illius rationem habere coacti erant; contra optimates suis viribus confidentes cum populo ita non fecerunt, ut crudelissime haud raro eum persequerentur.

---

utroque nomine utitur, etiam Paus. perp. arch. atque insuper decennales Melanthi posteros usque ad Clidicum vocat βασιλεύσαντες Confer etiam Corp. Inscript. Graec. n. 316.

<sup>1)</sup> Confer. Corsini fast. Att. III proleg. pag. LXXII.

<sup>2)</sup> vid. Suidas voc. Ἰππομένης.

<sup>3)</sup> vid. Corsin. f. Att. III. prol. pag. LXXII.

<sup>4)</sup> Boeckh. C. Inscript. Gr. II. pag. 307.

<sup>5)</sup> vid. Corsin. eod. loc. qu. adnot. 2.

Omnis autem rerum conditio haud ita multo post valde commutata est. Quum enim coloni a maritima parte per multi in Atheniensium fines immigrassent: populus, qui a magistratibus cum in aliis tum in forensibus rebus agendis inhibebatur, eorum auxilio confidens seditionem conflavit in optimates petiitque ut, leges conscriberentur, sperans suam sic conditionem meliorem fore; spes tamen eos fefellit. Nam Dracon, qui leges conscribere jussus erat, tam crudeles leges dedit, ut populus non minus premeretur, quam antea. Ex omnibus autem illis Draconis legibus una tantum nobis pervulgata, quae est de caede et etiam ad posteriora tempora valebat, ut Solon quoque et Clisthenes eam obtinerent. Dracon vel ob leviora delicta quam crudelissimum sumebat supplicium,<sup>1)</sup> ut Plutarchus diceret: *δι' αἵματος οὐ διὰ μέλανος τοὺς νόμους ὁ Δράκων ἔγραψεν. (Δημιάδης ὕστερον εὐδοκίμησεν)* Atque Draconem ipsum ferunt dixisse, minimum quodque delictum morte esse puniendum,<sup>2)</sup> gravioribus se non habere graviorem poenam. Quam ob acerbitatem non decreto jussaque sed tacito illiteratoque Atheniensium consensu leges illae obliteratae sunt.<sup>3)</sup> Tamen leges de caede latas etiam posteriore tempore servatas jam dixi, neque hoc mirum; credebant enim Graeci et inter eos maxime Athenienses leges illas esse divinitus institutas, ac quum omnia quae ex deorum voluntate facta sibi persuasissent, summe colerent, eas tollere non audebant.

Pollux fontes suos sequens tradit de sceleribus morte mulctandis singulare a Dracone institutum esse iudicium, quod constitit ex uno et quinquaginta iudicibus;<sup>4)</sup> nec tamen ipse hunc iudicium numerum Draconi ipsi adscribit. Quod autem C. O. Muellereus dicit, duodequingenta tantum ab initio fuisse iudices et a Clisthene demum quinquaginta ex tribu quaque quinque esse institutos, ita ut archon

<sup>1)</sup> Plut, Solon. c. 17; Aristot. Politic. II. 9.: *ἴδιον δ' ἐν τοῖς νόμοις (Δράκοντος) οὐθέν ἐστιν ὅτε καὶ μεγάλας ἄξιον πλὴν ἢ χαλεπότης διὰ τὸ τῆς δημίας μέγεθος.*

<sup>2)</sup> Plutarch, Solon 17.

<sup>3)</sup> Vid. Gellii N. A. XI. 18.

<sup>4)</sup> Pollux, VIII. 125.

*βασιλευς* quinquagesimus unus fuerit, conjectura est nec magni aestimanda; nam neque argumenta affert quibus demonstratur, quod contendit, nec refellere potest Pollucis sententiam.

Illa vero Draconis legislatione controversia inter optimates et populum non composita quin etiam ita aucta est, ut optimates inter se ipsos dissentirent populusque eo acrius resisteret. Qua ex rei publicae turbatione Cylon<sup>1)</sup> quidam victor in Olympiis et Theagenis Megarensium tyranni gener, qui singulari inter optimates erat auctoritate utilitatem se esse capturum sperabat<sup>2)</sup> et suo tempore, quo omnes ad Olympia concurrebant, cum iis qui in ipsius partibus stabant et cum militibus a socero Theagene auxilio sibi missis, quum oraculum a Pythia sibi datum falso intellexisset, Acropolim occupavit. Responderat enim dea, eo festo die ipsius consilia optime effici posse, quem Athenienses celeberrimum haberent. Falso autem quum in Olympiis victor fuisset, Olympia illo die festo intelligenda putavit, nam alii dies festi Athenis etiam pluris aestimabantur. Ita Thucydides culpam rei infectae in Cylonem ipsum conferre vult, nos aliter. — Sed ad rem ipsam redamus. — Cognitis Cylonis consiliis populus frequens convenit in urbem et ducibus naucrariarum prytanibus in acropoli illum oppugnat.

Sic igitur ipsius res jam irrita erat, nam populus quem sibi auxilio fore speraverat, adversariis favebat. Sed tamen Cyloni contigit ipsi prospere ut Megaram fugeret; qui ei favebant sese dederunt, quum Megarles Alcmaeonidas, [qui anno sexcentesimo duodecimo a. Chr. n. (primo anno olymp. XLII) archon eponymus erat, — hunc annum Clinton in *Fastis Hellenicis* et Corsini in *Fastis Atticis* statuunt, Boeckhius vero illud esse factum quattuordecim annis post putat — ejusque collegae impunitatem — sic Thucydides narrat — vel vitam — ut Herodotus vult — iis concessissent. Non mirum quod populus hac injuria denuo irritatus imprimis in Alcmaeonidas, Euputridarum vel potius optimatum duces

---

<sup>1)</sup> De Cylone vid. Thucyd. I. 126. Herodot. V. 71. Plutarch. Sol. cap. XII. Pausan. I. 28. 1.

<sup>2)</sup> Verba Herodoti haec sunt, quae in cap. LXXI. libri V. continentur.

saevire coepit. Seditioe autem illa Cylonia vel potius eo quod haec oppressa est, populus, quae sibi esset potestas et gravitas magis cognoverat et arrogantiae et superbiae optimatum resistere ausus est. Tres factiones tunc exstiterunt in Attica pro loco quaeque et pro habitu incolarum: Pediaei i. e. opulenti agrorum possessores in fertili ad Marathonem et Eleusina campo sitorum maximam partem Eupatridarum vel potius Optimatum loco orti, qui potestatem ipsam sustinere voluerunt. Contrarii vero iis erant Diacrii, qui prope saltus montium septentrionalium steriles agrorum negotia agebant et quamquam summo labore onusti erant vix tamen necessarium sibi victum comparare poterant. Qui quotiescunque inopia oppressi auxilium a divitibus petere coacti erant, nimio fenore omnes plerumque res familiares perdiderunt, quin etiam scilicet obaerati servitutem inierunt atque a dominis barbaris quoque vendi potuerunt.<sup>1)</sup> Quae factio populi potestatem petiit. Inter utramque positi erant Paralii, qui alteram factionem altera superiore esse noluerunt.<sup>2)</sup> Per multum temporis inter eos erat certamen de summo imperio, quod finitum tandem est, quum secundo Olymp. XLVI anno inter se convenirent, ut Soloni viro omnibus factionibus gratissimo, qui ad illum annum jam archon eponymus nominatus erat, novas leges conscribendas mandarent.<sup>3)</sup> Priusquam vero de legibus illius verba faciamus de Solone ipso nonnulla dicantur necesse est.

## Cap. II.

### *De Solone ejusque legibus.*

Solon filius erat Execistidae, quem Plutarchus et omnes veteres scriptores memorant inter cives facultatibus et potentia non multum valuisse; tamen ejus familia a Codro originem ducebat<sup>4)</sup> Diogenes Laërtius autem ejus genus vel

<sup>1)</sup> Plut, Sol. 13; ἄπας μὲν γὰρ τὸ δῆμος ἦν ἐποχρῆως τῶν πλουσίων; conf. etiam Phot. v. πελάται et Poll. VII. 51.

<sup>2)</sup> Plut. Sol. c. 13 de factionibus.

<sup>3)</sup> Plut. Sol. c. 14.

<sup>4)</sup> ibid. c. I. et II. Diog. Laert. I. 2.

ab Neleo et Neptuno deducit, sed id unum tantum constat genus primis Eupatridarum generibus adnumerandum esse, Solonis mater Heraclide Pontico auctore cognata erat matris Pisistrati. A patre illum non multum hereditate accepisse <sup>1)</sup> ex eo intelligimus, quod jam juvenis mercaturam fecit <sup>2)</sup> quamquam ortus erat nobilissimo genere Eupatridarum, qui etiamsi mercaturam non despiciebant, tamen sibi ineptam haud saepe faciebant, Solon autem mercatura non solum magnam sibi pecuniam meruit sed etiam alias terras aliosque populos eorumque instituta et imperii formas ita cognovit, ut nemo Athenis ad rempublicam renovandam illo apior inveniri posset. Praeterea jam antea in factionum rixis populi gratiam sibi conciliaverat, ut summa auctoritate frueretur; Eupatridae a Solone, quum ipse Eupatrida esset, multum boni sibi fore sperarunt: Diacriorum quoque gratiam, quibus quinque talenta sine fenere dederat, Solon benignitate consecutus erat; nec non Paralii ei favebant, quorum in partibus stetisse mihi videtur, quamquam plurimi scriptores veteres ulli eum factioni assignari nolunt. Solon autem non modo vir omnibus gratissimus, sed etiam maxima indole praeditus ac civibus superior fuit, qui Salamina, quae post seditionem Cyloniam defecerat, in Atheniensium potestatem denuo redegerat: <sup>3)</sup> qui bello quod dicitur sancto in Cirrham <sup>4)</sup> gesto quum solus ut foedus cum Sicyoniis iniretur, efficeret, summam gratiam non modo Apollinis Delphici sed imprimis omnium suorum civium conciliaverat. Maxima igitur auctoritate Athenis ornatus paullatim quae sibi proposuerat assequi studuit. Jam dudum Solon imperium optimatum eorumque principatum non posse diutius permanere atque optimates hunc obtinere principatum diligentissime esse conatueros cognoverat; idcirco ut impediret, quominus acrius resisterent optimates, Alemaeonidas, eorum principes, quibus populus ex seditione Cylonia erat infestissimus, removit et quidem eo quod illos,

1) *ibid.* c. II. ab initio.

2) *ibid.* cap. IV; fere omnia quae sequuntur, Plutarchus solus narrat.

3) Quae ad Sulamina spectat vide Plut. Sol. c. 8. 9. 10.

4) De bello in Cirrham gesto *conf.* Plut. c. 11.

qui ἄγος Κυλώνειον nondum expiaverant, adduxit ut iudicio trecentorum optimatum sese subjicerent.<sup>1)</sup> Scelere deorum arguti ad unum omnes civitate expulsi et vel ossa interea defunctorum effossa ex Atticae finibus transportata sunt. At non solum Alcmaeonidarum familia scelere illo maculata ac contaminata erat, sed etiam urbs ipsa atque eam in qua tantum flagitium commissum, expiari et lustrari opus erat. Quod quum factum esset Epimenide<sup>2)</sup> praeclaro tunc sacerdote ex Creta insula Athenas arcesso, rebus necessariis praeparatis opus sibi propositum Solon aggredi potuit. Videtur enim ille, quum nusquam de partium motibus aliquid sit traditum, omnium consensu tertio XLVI olymp. anno ἄρχων ἐπώνυμος<sup>3)</sup> creatus et eo quidem maxime consilio, ut novis legibus latis partium dissensiones componeret. Atque quam idoneus Solon fuerit, optime testantur leges ab illo deinde compositae, quarum proh dolor nullae ad nos pervenerunt nisi quas Plutarchus Diogenes Laërtius passim Attici quoque oratores paucas prodiderunt; sed tamen ex iis cognoscimus legislatoris qua omnibus satisfecit temperantiam et prudentiam.

Ac primum quidem quum magistratum iniisset, id maxime egit, ut debitorum vel potius obaeratorum calamitatem sublevaret; id circo instituit σεῖσαρχείων<sup>4)</sup> i. e. debitorum tam publicorum quam privatorum remissionem. Illa autem lege etiam praeceptum est ut fenera ad regulam exaequarentur, ne quisquam nec se ipsum nec filium nec filiam nec sororem aut pignori opponeret aut venderet cet.<sup>5)</sup> Neque tamen, ut nonnulli censent, Soloni erat in animo privatorum debita plane tollere, quoniam si id fecisset, creditorum imicitias sibi conflavisset; Tamen constat imminuta ea esse atque eo quidem quod legislator nummorum pretium ad nor-

<sup>1)</sup> Plut. Sol. 12 et Diog. Laërt. I. 110; accuratissime omnia quae ad hanc rem spectant traetavit E. v. Boeck: Die kylonische Blutschuld und ihre Folgen.

<sup>2)</sup> De Epimenide confer Heinrich: Epimenides v. Creta p. 77—115.

<sup>3)</sup> annum refert Diag. Laërt. I. 62: περὶ μὲν Ὀλυμπιάδα ἧς τῶ τρίτῳ ἦρξε τῶν Ἀθηναίων.

<sup>4)</sup> De seq. confer Plut Solon cap. XV. XVI

<sup>5)</sup> Confer etiam Boeckh: Staatshaushaltung der Alhen. I. p 139. II. 349.

mam direxerit simulque minuerit, quum jusserit ex septingentis triginta drachmis tunc mille percuti quae idem pretium haberent atque illae septingentae triginta; itaque si quis priscas mille drachmas solveret etiam tum quidem mille solvebat, quae tamen idem pretium habebant atque priscae septingentae triginta, debitorque igitur sane quartam aeris alieni partem dissolvebat.<sup>1)</sup> Quae quidem res et omnium reipublicae solvendorum debitorum, quae nondum soluta essent, remissio, magna certe pecunia, etiamsi rusticis pauperibus maxime, tamen etiam majorum agrorum possessoribus aliquantum profuerunt, ut hi quoque beneficiis obligati Soloni faverent.

Quod autem nonnulli produnt chirographa esse plane a Solone sublata, id quidem non credo ac propterea quod fenoris diminutio tum necessaria non fuerit. Sed magna tamen aeris alieni pars sublata videtur, imprimis id pro quo debitor se ipsum oppigneravarat. Ceterum Solonem ex sua sententia non iudicium quorundam de chirographis egisse accipiendum est. Atque haec quidem oppono iis quae Schoemannus contendit,<sup>2)</sup> ubi hanc tulit sententiam: „Die erste Massregel, die Solon ergriff, um den Frieden möglich zu machen, war die Befreiung des niedern Volkes von dem Drucke, unter dem es bisher gelitten hatte. Es gab dazu kein anderes Mittel, als ein gewaltsam durchgreifendes: Die Verschuldeten mussten von den Verpflichtungen losgesprochen werden, in Folge deren ihr Besitzthum und selbst ihre Person den Gläubigern verfallen waren: Deswegen erklärte Solon alle bisherigen Schuldverbindlichkeiten der Art für aufgehoben.“ Quam quidem sententiam confirmare vult versibus quos apud Plutarchum Sol. c. XV invenimus: γῆς

*Ὅρους ἀνείλε πολλὰχῆ πεπηγότας  
πρόσθεν δὲ δουλεύουσα νῦν ἔλευθέρα*

Equidem id probare non possum. Jusjurandum heliastarum, quod in Demosthenis oratione contra Timocratem § 149 nobis servatum est, Schoemannus quidem suppositum esse dicit — illud enim sententiae ejus vesistit, — sed ipse

<sup>1)</sup> Plutarch. Sol. c. 15. Diogenes Laërt. I. 54. Heraclid. Pontic. c. 8.

<sup>2)</sup> Schoemann, Griechische Alterthümer, ed altera pag. 340.

quoque sibi dissentit in annot. 3 ad pag. 340 ubi legimus: „Was Plutarch Solon. c. 15 über einige Freunde des Solon (sunt enim Conon Clinias Hipponicus) erzählt, kann wahr sein, wenn es sich auch nicht ganz so verhielt als Plutarch angiebt. Sie besaßen die mit geliehenem Gelde erkaufen Güter zwar nicht ganz schuldenfrei, aber sie verkürzten doch ihre Gläubiger um die Differenz zwischen dem alten und dem neuen Gelde.“ Quod si igitur bona non omni liberata aere alieno possidebant, tamen etiam omnia debita sublevata esse non poterant. Intelligendum est igitur Solonem quantum potuerit omnibus satisfacere voluisse petitionibus, potissimum populo, ad quem porro respiciens praescripsit quoque, ut qui acerbitate priscarum legum oppressi in servitutem incidissent, in pristinam conditionem restituerentur; si qui, ut fugerent illam calamitatem, patriam reliquissent, iis redire liceret., si qui venumdati essent, ii redimerentur; omnibus, ut paucis dicam, liceret redire nisi qui parricidio vel caede vel alio facinore commisso ex civitate erant expulsi. — Sed ad rem ipsam redeamus. —

Quum Solon levatione illa debitorum tam publicorum quam privatorum instituta pauperum animos vehementer incensos placasset, tum demum id quod maxime sibi proposuerat, faciendum aggressus novas leges promulgavit, ne aliae in posterum dissensiones orirentur; qua in re agenda magno ei erant usui, quae in itineribus cognoverat, nam in reipublicae forma constituenda optimum quodque eorum, quae apud populos, quorum in terras erat profectus, invenerat, elegit. Quo factum est, ut re vera, quod non unius cujusdam civitatis formam sibi exemplum proposuerat singularem institueret civitatem, in qua quum pro suis quisque vectigalibus auctoritatem haberet: cives, quod ad id tempus non factum erat, ad singulorum fortunas respiciens in ordines quosdam distribuit, qui quasi fundamenta novae civitatis essent. Itaque ad eas, quae jam extabant, partitiones civium factas (pro consanguinitate cum Jonis filiis) in Hopletas Geleontes Aegicorenses Argadeenses, (pro ordine) in Eupatridas Geomoros Demiurgos, novam adjecit, in qua fundis quisque aestimaretur. Sic autem agrorum pretium est auctum, quum

si quis reipublicae administrandae vellet interesse, is multos possideret agros necesse esset, et quo quisque plures haberet, eo magis reipublicae administrandae participi esse liceret. Censuit enim Solon, qui fundorum possessione in patria remanere coacti essent, eos bonos fore cives, qui autem mercaturam facerent, eos periculo patriae instante, quum, quibus privari possent, non haberent, facile fugituros.

Sublatis igitur pergit Plutarchus <sup>1)</sup> legibus Draconis civium censum Solon agebat <sup>2)</sup> et quattuor classes faciebat, atque in primam quidem *πενταχοσιομεδίμνων* distribuit, qui ex agris quotannis quingentos medimnos frumenti vel vini oleive metretas quingentas perciperent; in secundam equites, (qui equum militarem alere poterant) qui trecentos medimnos vel metretas, in tertiam zeugitas, qui ducentos perciperent medimnos vel metretas. Sic non Plutarchus solum sed omnes alii veteres narrant qui de hac re scripserunt. <sup>3)</sup> Boeckhius tamen in praeclaris libris: *Die Staatshaushaltung der Athener* III. 5. pag. 647 sequitur Plutarchum aliosque tantum in iis, quae de prima et secunda classe tradunt, de zeugitis vero illos non probat., sed non propterea quod incredibile sit omnes, qui minus quam ducentos medimnos habuerint, quartae classi adscriptos fuisse, potius propterea quod parum tum interfuerit inter equites et zeugitas i. e. inter trecentos et ducentos medimnos; maxime autem, ut ipse dicit, propterea quod apud Domesthenem c. Macartatum pag. 1067 lex quaedam de sorte promulgata inveniatur qua praescribitur, ut pentacosiomedimnus quisque si feminam parentibus orbatam, quacum sanguinis vinculo conjunctus sit, ipse non ducere velit in matrimonium ei, quum ipsa opes non habeat, quasi dotem quingentas drachmas solvat; eques trecentas, zeugita centum quinquaginta. Sed ut taceam, nos non posse statuere, quo tempore illa lex data sit, et omnino legem de dote promulgatam, qualis duobus saeculis diutius post Solonem fuerit,

<sup>1)</sup> Plut. Solon 17.

<sup>2)</sup> Plut. Sol. 18., confer Pollux VIII, 180; Boeckh. *Staatshaushaltung d. Athen.*

<sup>3)</sup> Qui hoc tradunt, scholastici ac lexicographi sunt, quorum fides parvi saepissime aestimanda videtur.

etiamsi de prima et secunda classe cum Solonis censu congruit, de tertia tamen differe ab illa potuisse: equidem opinor, unum illud argumentum non satisfacere ut id, quod Plutarchus gravissimos auctores secutus commemorat, vituperetur.

Porro Boeckhius ad sententiam suam probandam addit parum, si alteri trecenti alteri ducenti fuerint medimni, interfuisse inter secundam et tertiam classem; nobis censeo esse deliberandum pari ratione Solonem voluisse jura et onera singulis classibus tribuere. Idcirco exquirendum esse mihi videtur, quaenam civibus tertiae et secundae classis jura et officia fuerint. Quod autem pertinet ad utriusque classis jura, equidem, quum ad archontis dignitatem neutra admissa sit, magistratus contra et concionis cet. utrique pariter participi fuisse licuerit: non cognovi magnum inter ea fuisse discrimen. De muneribus autem civitati remittendis sane erat discrimen, quod tamen levissimum, sicuti ex iis quae sequuntur intelligemus, erat. Cives enim secundae classis, ut nomen quoque testatur, plurimi equites stipendia faciebant; sed quum etiam ex pentacosimedimnis eligerentur et apud Athenienses equites in bellis pauci tantum essent, illud non est ita intelligendum, ut omnes secundae classis cives equites fuissent; multi contra sicuti zeugitae gravi armatura militabant. Quae quidem accuratius omnia perscrutatus non credo Boeckhium quamquam etiam C. F. Hermannus, Schoemannus, Duncker, E. Curtius eandem ferunt sententiam — non afferentes argumenta — satis refellisse, quae veteres tradunt, ac Plutarchum igitur secutus contendo, qui ducentos ex agris medimnos perceperint eos zeugitarum classi esse adscriptos.<sup>1)</sup> Ceteri omnes cives, qui minus quam ducentos medimnos ex agris perciperent, in quartam classem distributi et thetes nominati sunt, qui tantum summo in reipublicae periculo velites vel remiges militabant.

---

<sup>1)</sup> Parvam inter secundam et tertiam classem censeo interfuisse; argumentum hujus rei mihi liceat afferre Aristotelis (*Pol.* II. 9) verba: τὰς δὲ ἀρχὰς ἐκ τῶν γνωρίμων καὶ τῶν εὐπόρων κατέστησε πάσας, ἐκ τῶν πεντακοσιομεδίμων καὶ ζευγιτῶν καὶ τρίτου τέλους τῆς καλουμένης ἰππάδος; si res ita se non haberet, Aristotelem judico ordinem classium non commutasse.

Quum jam supra de secunda et tertia classe eas comparans satis mihi multa verba generatim fecisse videar, liceat mihi singulatim de primae classis honoribus et officiis quidquam disserere. Atque, ut sua sponte elucet, gravissima onera primae classis civibus imposita erant qui, ut jam antea, bello exorto suis sumptibus naves apparandas curare debebant. Qua de causa Attica erat omnis divisa in duodequingenta naucrarias, quas jam ante Solonem institutas esse oportet, quum in Cylonia seditione earum praefecti populi duces memorentur<sup>1)</sup>; sed pentacosimedimni in iis habitantes tantum navem apparabant. Sed non solum gravissima onera, etiam summi honores iis erant; illi soli summam archontum dignitatem obtinebant, quamobrem Areopagitae quoque, quorum collegium non solum de publicis muneribus verum etiam de rebus privatis summam auctoritatem habebat, ex iis tantum nominari poterant. Alii autem magistratus et honores capiebantur a trium superiorum classium civibus qui integra civitate utebantur, veluti senatores quadringenti<sup>2)</sup>, centeni e singulis tribubus quotannis creati sunt; sed superiorum tantummodo classium nec triginta annis minores. Judices tantum ex omni populo sumebantur, qui sicuti senatores ceterique magistratus in comitiis crebantur, ubi omnes cives pariter jus suffragii habebant. Hand ita multo post etiam institutum, ut si quis a magistratu quolibet abiisset apud populum rationem de administratione redderet. Judicium autem magistratus, qui jam antea gravis erat, postero tempore omnibus aliis gravior, atque eo quidem, quod cives et in heliaea et in comitiis pariter jus suffragii habebant, fundamenta ejus civitatis formae jacta sunt, in qua omnia ex populi suffragio geruntur. Sed ea comitia quae Solon instituit multis in rebus differunt ab illis quae Clisthenes, quum usque ad hunc Areopagus quasi administrator legum esset<sup>3)</sup> cavereturque omnino ne quid ad populum ferretur nisi ex

---

<sup>1)</sup> Herodot V. 71.

<sup>2)</sup> Plutarch. Sol. c. 19.

<sup>3)</sup> Plut. Sol. c. 19.

auctoritate senatus neve quid populus juberet nisi a senatu in suffragium missum. Solon enim, ut ex versibus duobus apud Plutarchum Sol. c. 18. recitatis:

*Δήμῳ μὲν γάρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσσον ἐπαρχεῖ  
τιμῆς οὐτ'ἀφελῶν οὐτ' ἐπορεξάμενος.  
οἱ δ' εἶχον κτλ*

intelligimus, impedire cupivit quominus populus nimia potestate concessa superbiret, neque tamen impedire potuit quominus iis, quae concesserat, potestatem sibi paullatim pararet.

Quibus expositis restat ut pauca dicenda sint de vectigalibus, quae pro bonis classi cuique pendenda erant; de qua re nemo scripsit nisi Pollux uno loco <sup>1)</sup>, quem fere omnes falso intellexerant et Boeckhii primus recte interpretatus est; itaque eum secutus pauca dicam. Atque contendit Boeckhii Isaeo duce <sup>2)</sup> duodecimam pecuniae mutatae partem fenus a debitoribus esse sumptam ita ut pauperrimus quisque pentacosimedimnorum, si ponimus metretam idem habere pretium ac drachmam, sex milia drachmum possidere debuerit, equitum tria milia sexcentas, zeugitarum duo milia quadringentas. Sed tamen pentacosimedimni tantum pro omnibus bonis vectigalia pendebant; equites autem non pro tribus milibus sexcentis sed pro tribus milibus; zeugitae pro mille; thetes erant tributorum immunes <sup>3)</sup>. Sic Boeckhii illum Pollucis locum recte mihi interpretatus videtur; incertum tamen est utrum jam Solon leges de vectigalibus tam gradatim pendendis dederit, equidem opinor posteriore demum tempore eas esse datas; nam tum quidem vectigalia ad rem publicam administrandam satisfecerunt, quoniam si ea non satis fecissent exactiones argentariarum Laurentinarum usque ad Themistoclem sane populo non essent distributae; Thucydides quoque tradit <sup>4)</sup> quarto belli Peleponnesiaci anno primum Atheniensibus tributum esse impositum <sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> VII, 130.

<sup>2)</sup> I; 24.

<sup>3)</sup> Pollux tradit: οἱ δὲ τὰ θητικὸν... ἀνήλισκον οὐδέν.

<sup>4)</sup> III. 19. καὶ αὐτοὶ ἐσυνεγκόντες τότε πρῶτον εἰρηφορὰν διακόσια τεύλαντα.

<sup>5)</sup> Do Solonis legibus dicere hic subsistam quum aliae ad nostram rem non spectent.

In illa quoque, quam Solon civitati formam dederat et Aristoteles <sup>1)</sup> *τιμοκρατίαν* nominavit, populi potestas inferior erat, quum eupatridae vel optimates, qui plurimos agros possiderent, etiam tum soli principatum tenerent; quam plebs contra i. e. thetes in comitiis et in iudicio habebant potestatem ea a senatu et ab areopago valde diminueretur. Recte igitur Herodotus <sup>2)</sup> commemorat Clisthenis demum tempore plebem rei publicae administrandae participem fuisse. Sed tamen quam Solonis legibus plebs acceperat potestatem, ea quam maxime utebatur, et sic ea oriundi popularis imperii fundamentum est.

Quibus Solonis legibus aliquamdiu quidem omnes factiones erant contentae, sed haud ita multo post discordia iterum exorta eo acrius inter se certabant. Plebs enim non satis sibi concessum esse contendebat, optimatis contra nimia jam illis se concessisse arbitrati omnibus viribus impedire conabantur ne quid aliud commodum plebs assequeretur. Itaque priusquam viginti anni exacti essent, Solone jam vivo cives iterum in tres illas partes quae antea fuerant discesserunt, quarum partium duces tres eupatridae erant: Diacriorum Pisistratus, Hippocratis filius, ex nobili Phylaidarum genere; Pediaeorum Lycurgus, Paraliorum Megacles<sup>3)</sup>, quorum potentissimus Pisistratus quum plebis auxilio confisus callide senatum coëgisset ut ipsi liceret custodiae causa quinquaginta satellites circum se habere, acropolin occupavit et quamquam omnes aliae factiones et Solon quoque ei resistebant, tamen plebis auxilio dominatione potitus est. Sed praeter omnium expectationem tyrannus Solonis leges non solum ipse servavit, sed etiam ejus filii, ut vel magistratus, sicuti illis praescriptum erat, crearentur; nemo vero munere fungebatur nisi qui tyranno favebat. Quibus omnibus satis elucet illo jam tempore plebem certe de singulis partibus principatum tenuisse. Nondum autem satis firma erat Pisistrati tyrannis et plebis potestas, nam bis tyrannus Paralii et Pediaeis con-

<sup>1)</sup> Ethic. Nicomach. VIII. 10. 1.

<sup>2)</sup> V. 69.

<sup>3)</sup> Herodot. I. 59, confer etiam Justin. 2. 8, Ptolemaeus. Sol. 30; omnia summa cum diligentia composuit Meursius oper. IV.

junctis patriam effugere coactus est, neque dominationem recuperavit prius quam plebs viribus omnibus unitis Pediaeos et Paralios opprimeret. Ac profecto Pisistratidarum tyrannis civitati haud parum profuit, iis enim fortiter regnantibus Solonis leges recte tandem tractatae et usu probatae sunt <sup>1)</sup>, Atheniensibus extra fines quoque gloria parata est, celeriter urbs artesque ac maxime res maritimae effloruerunt; studia colebantur, vel Pisistrati filii summa cum industria ea exercebant. Cicero de orat. III c. 34 scribit: Pisistratus primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur ut nunc habemus; ita ille eloquentia effloruit ut litteris doctrinaque praestaret. <sup>2)</sup> Quibus quam diu elementer civitatem regebant populus favebat et imperium erat tutum, sed quum Hipparcho interfecto Hippias frater severitate et crudelitate illum oppressisset tyrannis sublata est.

Inter vehementissimos Hipiae adversarios erant Alcmaeonidae, ex quibus unum Megaclem, Clisthenis Sicyonici tyranni generum temporiorum Paraliorum ducem magna inter Pisistratidarum inimicos auctoritate fuisse jam antea commemoravimus. <sup>3)</sup> Illi autem patria expulsi jam priori tempore irruptionem susceperant <sup>4)</sup>, at frustra; itaque a consiliis suis desistere coacti erant, usque dum ab alia parte auxilium iis praeter opinionem allatum est. Quum enim primo LVIII olymp. anno templum Delphicum igni deletum esset Alcmaeonidae trecentis talentis solutis id restituendum susceperunt et frontem opulentius quam ex pacto opus erat ex marmore Pario <sup>5)</sup> extruxerunt, quare sacerdotes commoti sunt ut iis tyrannos expellere cupientibus subsidio essent. Itaque quotiescunque Spartani Delphos vel de publicis vel de privatis consultum mittebant, toties jussi sunt tyrannis liberare Athe-

---

<sup>1)</sup> Plut. Sol. c. 31.

<sup>2)</sup> Confer quoque Cicero ad Brut. VIII. A. Ritschl die Alexandrin. Bibliothek und die Sammlung der Homer. Gedichte.

<sup>3)</sup> Quo tempore illi exiles in patriam redierint, non certem traditum habemus sed tamen conjicere possumus statim post Solonis legislationem eos esse revocatos.

<sup>4)</sup> Herod. V. 69. confer etiam Hesych. voc. *Αειψύδριον*.

<sup>5)</sup> Herodot. V. 62. sub finem.

nas<sup>1)</sup>. Qui tamen, quod tyrannorum hospites erant, id facere abnuerunt et multo demum tempore praetermisso Anchimolium Athenas miserunt cum exercitu, qui quum ad Phalerum in terram egredi vellet, ab Hippiae equitibus ex Thessalia conductis tanta clade affectus est ut Anchimolio occiso Spartam re infecta rediret. Quo detrimento accepto vehementer irati Spartani Cleomenem regem cum exercitu statim conscripto miserunt ad Athenas liberandas, qui equites Thessalicos ita prostravit ut tyrannum desererent et in patriam redirent. Postea autem Cleomenes ab Alcmaeonidis adjutus<sup>2)</sup> Hippiam in acropoli inclusum tenuit atque ille ut liberi fortuito capti liberarentur coactus est anno DX. (tertio LXVIII olymp.<sup>3)</sup> arcem tradere seque cum sociis Sigaeum ad Hegesistratum fratrem altero tantum parente recipere. Tyrannis ita expulsis Cleomenes victor Spartas redibat et Athenienses tyrannorum iugo quidem liberati neque tamen liberi erant. Nam Solonis legibus, quas tyranni quoque non sequebantur, si non utilitatem ex iis capere poterant, neglectis veteres factiones iterum emergerunt optimatesque pariter ac plebs imperii clavum tenere cupiebant. De paraliis autem nihil commemoratum, itaque quum Alcmaeonidae, eorum antea duces, tunc plebis patroni fuerint conjiciendum videtur factiones illas duas contra optimates vel pediaeos se conjunxisse. Videntur igitur res difficillimae tum Athenis fuisse et aegre ferimus, quod quum nihil de iis traditum sit, minus possumus intelligere quid actum quidque in eo lapsum sit; nam Herodotus hujus temporis tantummodo auctor rem brevius absolvit: postquam narravit Clisthenem Alcmaeonidam et Isagoram Tisandri filium optimatum duces de imperio certasse, quo in certamine Clisthenes quum adversario par non fuerit plebem sibi adsciverit, statim ad Clisthenis commutationes transit.

Clisthenes vero quum populi auxilio adversarios super-

<sup>1)</sup> Herodot. V. 63, Thucyd. VI. 56.

<sup>2)</sup> Thucyd. VI. 59. refert Ἰππίης πεισθῆς ὑπὸ Ἀλκμαειονίδων καὶ Ἀλκμαειονίδων.

<sup>3)</sup> vid Clinton. F. H. et Corsini. F. A. confer etiam Aristotel. πολ. V. 9. sub finem et Herodot. V. 65.

asset ea quae Solon inceperat perficere studuit, i. e. populi imperium, cujus fundamentum a Solone erat factum, augere et corroborare. Atque id quidem praecipue a Clisthene esse factum apud Aristotolem (*πολ.* VI. 2.) legimus; intellecto autem formam reipublicae a Solone datam non profuturam esse Clisthenes a fundamento sibi civitatem esse renovandam credebat. Quod quomodo Solonem secutus ita perfecit, ut saepe perfector reipublicae nominatus sit, sequentibus si placet explicemus.

### Caput III.

#### *De Clisthene ejusque institutis.*

Jam iis, quae expulsis tyrannis Athenis fuerunt, certaminibus partium Clisthenem primo superatum esse jam sub finem prioris capituli dixi; nec hoc mirum; Isocratis enim factio ut videtur, jam diu secreto egerat et Spartanos socios habebat; Clisthenis contra, quum diutius ab urbe abesset, factio erat dissoluta ac, ne opprimeretur Diacrios, qui expulsis tyrannis ducibus carebant, sibi adscivit illis promittens se ipsorum res sicuti suas curaturum esse. Quorum deinde dux factus mox omnium potentissimus vir erat Athenis, sed liceat mihi de viro ipso ejusque consiliis afferre Curtii verba (ed. altera I pag. 308): Ehrgeiz war die eigentliche Triebfeder seiner Handlungen. Aber er vertrat doch eine höhere Sache als persönliche Interessen und seines Hauses Ruhm. Der Gegenpartei gegenüber, welche an Sparta gelehnt die verfassungsmässigen Rechte des Volkes aufzuheben trachtete, vertrat er die nationale Ehre und Selbstständigkeit Athens; er vertrat das gefährdete Recht, die unter schweren Kämpfen errungene bürgerliche Freiheit, die feierlich beschworene Verfassung, die selbst den Tyrannen heilig gewesen war, endlich die Zukunft Athens, welche von der freien und selbstständigen Entwicklung auf solonischer Grundlage abhängig war.... Die Reaction des Adels ist es gewesen, welche Kleisthenes gross gemacht und seiner Politik einen bestimmten Weg vorgezeichnet hat.

In hanc fere sententiam paucis Curtius describit, quae tum fuerit Atheniensium conditio et Clisthenis consilium, sed

si ambitione eum maxime ad omnia gerenda esse incensum dicit verbis rem augere mihi videtur, nam quum in expellendis tyrannis jam bene de republica esset meritus, etiam ad novas res gerendas gloriae cupiditate eum esse adductum non opinor. Summa auctoritate Athenis ille utebatur, quid altius peteret? Patriam magnam et liberatam reddere clientela Spartae, quam adversarii optimates Atheniensibus affere vulerunt, solum id erat, quod sibi proposuerat. Curtius quidem tyrannidis studio eum fuisse allectum censet et sane demagogus non multo abest a tyranno sed quin ipse vir, qui nuperrime, quocunque modo potuit, tyrannos expellere studuerit, id egerit, ut in patria modo liberata ipse tyrannus sit, valde est dubitandum; nam Clisthenes sine ulla dubitatione jam dudum haud ignoverat cives tyrannis esse infestissimos; in omnibus quoque, quae gessit, se praestitit peritissimum universarum suae aetatis rerum virum et ex omnibus fructum percipere potuit. Quoniam pro populo pugnam inierat contra optimates, etiam illius jura maxime adhuc dubia firmare atque amplificare constituit, sed quamdiu ordinum discrimina lege erant sancita hoc inceptum prospere eventurum esse vix sperare potuit.

Primum igitur omnes inter ordines discrimina auferri opus erat, sed adeo permixtae erant divisiones sacris Atheniensium institutionibus, ut viri illarum rerum novarum cupidi summum periculum subirent. Clisthenes tamen pecunia ad templum Delphici Apollinis aedificatum soluta iterum multos fructus percepit. Invitis enim templi illius sacerdotibus quum Clisthenes propositum suum vix ad finem perducere potuisset, auxilio tamen eorum facile dubitationes superavit quae Atheniensibus de sacris institutis inerant. Sed tyranni quoque qui antea fuerant, permultum ei perfuerant, quum eorum imperio ordines haud ita magni aestimati essent, quo factum est ut magis magisque in oblivionem abierant. Tribus autem quattuor, quae dicuntur Jonicae earumque partes phraetriae et gentes, praesidium et columen erant omnibus qui a partibus optimatum stabant. Itaque prisca populi divisio sublata et nova instituta<sup>1)</sup> est, ut hoc contingeret Clisthenes

<sup>1)</sup> Haec tradunt Herodot. V. 69. Plutarch (Aristit. II.) multique alii.

ad oraculum Delphicum provocavit quod ex heroibus maximam partem indegenis <sup>1)</sup> decem eligebat qui tribubus a Clisthene instituendis nomen darent.<sup>2)</sup> Quum multi antiquitatis scriptores in Eponymis enumerandis seriem quandam observent principatus quidam videtur fuisse; ex monumento illo quod appellatur *Ἐπιτάφιος λόγος* series haec est: Erechtheis, Aegeis, Pandionis, Leontis, Acamantis, Oeneis, Cecropis, Hippothoontis, Aeantis Antiochis; sed quoad hoc probandum sit satis accurate dici non potest, etiam veteres scriptores in enumerandis tribubus eandem seriem non observant.<sup>3)</sup> Quas in decem tribus non modo ii recepti sunt qui jam antea civitatem habuerant, sed etiam multi peregrini et libertini (Aristotele auctore)<sup>4)</sup>, qui usque ad illud tempus *μετοίκων* jura obtinuerant nec dubium quin populum firmiorem et ad resistendum optimatibus aptiorem facere vellet.

Quae quum institutae essent, decem tribus factionum studiis motibusque grave erat allatum impedimentum gravius autem institutione singularum tribuum: tribus enim unaquaque constitit ex denis demis, ut Herodotus (V. 69) aperte dicit; *δέξα τε δὴ φυλάρχους ἀντὶ τεσσάρων ἐποιήσε, δέξα δὲ καὶ τοὺς δήμους κατένευε εἰς τὰς φυλάς*; referendum enim esse *δέξα* ad *δήμους* judico, viri quoque doctissimi, veluti Valkenarius Schoemannus, Bergkii, Curtius, per multi alii; alii quoque alia censent, veluti Wachsmuthius auctore Strabone (X. 1. 16.) qui centum septuaginta quatuor demos in Attica fuisse refert. Illam autem sententiam probare non possum; teneamus enim in animo velim ad tempus multo posterius referendam esse Strabonis partitionem; interea tota terra imprimis Athenae ipsae valde creverant, quam ob rem, ut in

<sup>1)</sup> Ex decem heroibus eponymis solus Aias est exterus, vid. Pausan. in Atticis.

<sup>2)</sup> Etymol. Magn. voc. *Ἐπώνυμος*: *Ἐπ. δέξα εἰσιν* (sequuntur nomina). *ταῦτα δὲ ὀνόματα ἄπορα Ἡύθω εἴλετο*. Pollux VIII. 109. 110.

<sup>3)</sup> Pausan. I. 5, Pollux VIII. 109, Etymol. Magn. in enumerandis tribubus differunt.

<sup>4)</sup> Aristoteles πολ. III. 1. tradit. (*Κλεισθένης*) πολλοὺς γὰρ ἐφυλέτευσε ξέρους καὶ δούλους μετοίκους: δούλους idem esse ac libertinos judico; alii aīam sententiam ferunt; longius autem de hac re disserere ad nostram rem non pertinet.

singulis demis civium numerus in universum par esset nonnullos demos dividi et novos formari necesse erat; gravissima autem causa cur *δέξα* ad *δήμους* referendum esse puto quod apud Herodianum<sup>1)</sup>, centum qui dicuntur heroes commemorantur; quorum alio id loco in historia Graeca mentio non fit, saepius autem heroes singulorum demorum commemorantur.

Sed tamen longum est hanc rem accuratius perlustrare; satis mihi sit delegare ad Saupprii Programma Weymar. anni MMDCCXLVI, cui inscribitur: De demis Atticis. Demi pro regionum situ divisierant sed cave credas decem demos finitimos unum tribum effecisse — nam hoc modo Clisthenes factionum studia impedire et eos qui a singulis partibus stabant, separare non potuit — immo vero decem uniuscujusque tribus per totam Atticam saepe dissipatae erant<sup>2)</sup>; veluti illarum quatuor urbium, quae tetrapolis nominabantur, Marathonis Oenoës Tricorythi Probalinthi, primae tres Aeanti erant adscriptae, quarta Pandionidi tribui; demi nomen jam ante Clisthenem invenitur et tunc naucrariarum partem videtur significasse; denominati autem sunt demi alii ab oppidis virisque, alii ab generibus quae in iis erant potentissimae, alii a fluviis ceter.<sup>3)</sup> ac proprium fuerunt fundamentum in quo respublica erat posita, ita ut per demos omnis respublica administraretur. Demis autem principes praefuerunt, qui *δήμαρχοι* vocati agros et loca ad singulos demos pertinentia describebant, tabulas lexiarchicas custodiebant demosque quum res postularet convocabant et in suffragia mittebant; iidem etiam curabant res sacras atque rei publicae securitatem<sup>4)</sup>: omnia naucrarorum qui antea fuerunt officia iis erant imposita atque idcirco dicunt lexicographi nonnulli demarchos naucrarorum loco esse institutos, accuratius vero Photius, qui

1) Herodian π. μον. λξξ. pag. 17.]

2) Conf. Schoemanni. Griechische Alterthümer.

3) Vid. Etymol. Magn. pag. 327.

4) Suidas. voc. *Δήμαρχος*, Pollux VIII. 108. Harpocrat. Photius voc. *ναυκραρός*. Utrum judicialis potestas demarchis sit attribuenda, cognoscitur in Pseudoplutarchi vit. X. orat. §. 834.

naucrarum idem fere ac demarchum esse contendit<sup>1)</sup>. Quum civitas demos non curaret demarchi quasi reges vel archontes erant et omnibus in iis res administrantibus praepositi veluti curatori (*ταμίαι*) et contrascriptori (*ἀντιγραφεῖ*) qui acceptorum et datorum rationem redderent, res sacras curarent, tributum demi (*εἰσφορὰ τῶν δημοτικῶν*)<sup>2)</sup> et pro agris publicis pendenda exigere vectigalia (*ἐγκλητικόν*)<sup>3)</sup>, quo ea intelligebatur pecunia quam solvere debebat, qui in demo quodam, cui non erat adscriptus et cuius non erat civis agros possidebat, curatori autem et contrascriptori duo revisores (*εὐθρονοί*) praecerant<sup>4)</sup>. Sed non solum in profanis, verum etiam in sacris rebus administrandis suam sententiam sunt demi secuti, nam multi vel singulsingulos heroum cultus vel complures unum habebant<sup>5)</sup>. Ut demi suis rebus prospicerent maximeque magistratum creationi, loco quodam intra demum sito comitia (*ἀγοραί*) habebantur,<sup>6)</sup> in quibus etiam demi tabulae (*ληξιαρχικά γραμματεῖα*) percensebantur. Qua in percensione haud raro fiebat ut qui aut lapsu aut demarchis pecunia corruptis tabulis essent inscripti, ex Atheniensium civium numero extinguerentur<sup>7)</sup>; inscribentur quoque tum adolescentes duodeviginti annos nati, sed non solum ii, qui genere suo in demo quolibet erant, verum etiam sumebantur adoptando peregrini vel in pauperioribus demis clientes quique pecunia quadam eo consilio soluta ut deinde in civitatem reciperentur, inscripti sunt. Sed quum ut antea dixi tabulae saepe corruptae essent, optime erat provisum ne singuli demi sua voluntate aliquam adscriberent neque cuiquam omnino nisi omni Atheniensium populo licebat civitatem dare. Prioribus autem temporibus ii tantum in eam poterant

1) *πανθαρός ὁπῶν τι ὁ ἡμαρχος.*

2) Confer Boeckh Staatshaushltg. I. 319.

3) Corp. Inscrpt. Graec. n. 88 (5) 89 (23) 93. 100. 102.

4) Confer Phot. voc. *εὐθρονοί*; confer Demosth. orat. in Leoch §. 39.

5) Conf. Demosthen. c. Eubul. §. 46 u. 62. Thacyd. II. 16. Stephan. v. Byzanz. voc. *Ἐχέλαι*.

6) Corp. Inscrpt. 70.

7) Confer Schoemann. Ant. jur. publ. Gr. V. §. 21.

recipi, qui in Attica ipsa habitabant<sup>1)</sup> et de Atheniensium republica bene meriti erant. Sed si quis in civium numerum erat ascitus<sup>2)</sup>, quum in demum quendam tum in tribum adscriptus exceptis quibusdam, quae tantum iis erant, qui jam ipsorum proavos<sup>3)</sup> in Atticam immigrasse ostendere poterant, omnia jura habebat. Clisthenes, ut jam supra memoravi, in nova terrae distributione id maxime petiit, ut factionum studia opprimerentur; eadem de causa videtur instituisse ut cives omnes qui demum, in quo nati essent; reliquissent, de civitatis tamen rebus ubicunque habitarent, in priorem illum adscripti haberentur, deinde ne quisquam alium in demum transmigraret nisi qui per adoptionem — quod munus antea phratriis, ex illo autem tempore demis impositum erat —<sup>4)</sup> familiae cuidam insertus esset. Sed si quis adoptabatur, maxime fiebat eo consilio, ne gens ulla extingueretur si in familia qualibet puellae quidem sed non filii erant, et tum plerumque ratio consanguinitatis habebatur, ita ut saepe gener adoptaretur.<sup>5)</sup>

Demi igitur parvae quasi civitates erant et res suas ipsi curabant, decem eorum, qui tamen non in eadem regione siti erant vel potius maximam partem per omnem terram dispersi tribus nominabantur. Tribus autem quasi medium erant inter summum rei publicae magistratum et demos, sed de republica nihil valebant. Comititia tribuum ἀγοραὶ nominata Athenis habebantur et urbs quum heroum eponymorum statuæ ibi positæ essent quasi centrum tribuum erat; habitabant quopue Athenis omnes quam diu munere quodam fungebantur magistratus, inter quos etiam tribuum praefecti<sup>6)</sup> et pecuniae curatores<sup>7)</sup> quae tamen pro sacris tantum sumebatur. Qui quidem magistratus aliique deni qui gravius

---

<sup>1)</sup> Optime apparet ex orat. Demosth. c. Neaeram. Vide quoque Plut. Sol. c. 24.

<sup>2)</sup> Confer Harpocrat. et Suid voc. δημοποίητος Pollux. III. 56.

<sup>3)</sup> Pollux VIII. 85.

<sup>4)</sup> Conf. Schoemann. Antiq. jur. publ. V. §. 19.

<sup>5)</sup> Vid. Demosthenes c. Leoch. pag. 1083. 86. 94.

<sup>6)</sup> ἐπιμεληταὶ τῶν φυλῶν, Herodot. minus accurate φύλαρχοι.

<sup>7)</sup> Vid. Corp. Inscript. Graec. n. 128.

munus non habebant, in tribuum concionibus<sup>1)</sup> creabantur; de gravioribus autem creandis magistratibus cunctus populus in comitiis (ἐκκλησία) jus suffragii exercebat; sed priusquam de iis accuratius disputemus alias quasdam institutiones, quas Clisthenes non pervertit commemorare liceat.

Jam supra dictum est a Clisthene leges Solonis restitutas esse, sed non mirum quod nonnullas mutavit. Solon enim jam intellexerat necesse esse eae paullatim mutarentur, omnino vero Clisthenes omnia servare voluit instituta quae, quod sibi proposuerat, non regnarent, veluti naucrarias quibus quum doudequingenta antea fuissent duas adjecit ut quinquaginta fierent; sed utrum ex eo tempore una naucraria duos demos habuerit incertum est. Ji qui naucrariis praeerant, ante Clisthenem satis magnam habebant auctoritatem quae tamen deinde quum ad demarchos pervenisset paullatim sic minuta est, ut postero tempore nihil nisi de pecuniis administrandis aliquid pollerent. Bello exorto [naucraria quaeque navem exstruere et duos equites armare debebat,<sup>2)</sup> unde error lexicographorum exortus est, qui veluti Suidas (voc. Δύμαρχος) naucrarum eodem munere functum esse ac demarchum contendunt. Praeterea Clisthenes servavit quoque tribus Jonicas earumpue partes: phratias,<sup>3)</sup> gentes familias, quae tamen de sacris tantum rebus aliquam vim habebant, de republica nullam, nam tabulis eo Athenienses utebantur consilio ut ex iis cognoscerent, utrum qui archontis dignitatem petebant civitatem haberent. Ac propterea quidem phratias illas ceteraque plane tollere noluit Clisthenes, quod semper fere herois gentilicii cultus aliquis cum illis erat conjunctus atque Atheniensium religio violata fuisset; maxime autem propterea quod etiam Delphicorum sacerdotum collegium [Clistheni in eo resistebat. Etiam Areopagum ille sustinuit et, ut antea, ii tantum in eum venerunt qui archontis dignitatem habuerant et populi

<sup>1)</sup> Confer Schoemann. Ant. jur. publ. Graec. 5. 23.

<sup>2)</sup> Vid. Phot. et Harpocrat. voc. ναυκράριος, Pollux refert: ναυκρaris δὲ ἐκάστη δύο ἰππέας παρείχε καὶ ναῦν μίαν ἀφ' ἧς ἀνόμαστο.

<sup>3)</sup> Plut. Pericl. IX.

judicio ad eam majorem dignitatem idonei erant, officia autem Areopagi mutata mihi videntur paucisque mihi liceat hoc ostendere. Archontis dignitatem etiam Clisthenis aetate nemo addipisci potuit, nisi civis primae classis plerumque eupatridae, sed etiam ex iis, quam diu tyranni quidem regnabant, nemo nisi qui illis favebat. Itaque factum est ut populi potestatem opprimere illi quam maxime studerent, sed si areopagitarum ea quam ante et post Solonem habuerant, potestas non minuta fuisset, impedimento fuisset sed quod nihil ejusmodi nobis traditum est Areopagusque quem Solon ut apud Plutarchum (Sol. cap. 19.) invenimus quasi legum custodem<sup>1)</sup> instituerat post Clisthenem in republica ad ministranda nihil fere valebat: ejus auctoritas valde minuta videtur. Itaque Areopagitae monebant quidem populum, ne quid imprudenter ageret, sed ut ipsis obsequeretur eum cogere non poterant. Quorum auctoritas etiam in judiciis valde minuta videtur, quum, quo tempore plebs imperii clavum in civitate tenuit, sententiam, qua omnis controversia dirimeretur, ferre non possent.<sup>2)</sup> Sed tamen etiam tum magnam auctoritatem habebat Areopagus neque sublatus est priusquam Periclis aetate Ephialtes quidam omni eam potestate privaret neque quidquam nisi homicidii<sup>3)</sup> quaestionem ei relinqueret. Areopagi autem potestate ita sublata omnis etiam nobilium potestas sublata videtur; usque ad id tempus non solum res publicas sed privatas<sup>4)</sup> quoque Areopagus sua voluntate administraverat. Quam ob rem etiam non uno Ephialtis illius impetu ejus auctoritas perversa est, sed jam antea ex quo tempore populus paulatim imperium tenere incepit, ejus tollendi initium factum est usquedam Ephialtes omnia, quae adhuc quasi specie jura ei permittebantur plane tollebat,<sup>5)</sup> quo facto ex Clisthenis aetate paulatim majorem accepit pote-

<sup>1)</sup> Vidi Plut. Sol. 19: τὴν ἄνω βουλὴν ἐπίτολπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων ἐκάθισεν.

<sup>2)</sup> Confer Grote II. pag. 413.

<sup>3)</sup> Aristot. πολ. II. 9: καὶ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ἐκόλουσεν Ἐφιάλης καὶ Ηερικλῆς.

<sup>4)</sup> vid. Isocrat. Areopagit. 14. 16. 18.

<sup>5)</sup> Aristot. πολ. III. 1.

statem et tres magistratus, senatus (*βουλῆ*) comitia (*ἐκκλησία*) iudicium (*ἡλιεία*) plebis jure fungebantur. Quorum maximam potestatem habebant comitia (*τὸ ζύριον τῆς πολιτείας*) vel populus cunctus, qui ne ad rem quamlibet agendam convenire deberet, potestatis partem senatui concessit; partem quae ad iudicia spectabat iudicibus. Atque in civium numero neminem nisi qui senatus et iudicii participes (*ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς*) esse potuerint, quondam fuisse Aristoteles tradit. <sup>1)</sup>

Quibus expositis sequitur ut dicendum sit quomodo instituti sint magistratus illi et quae singulis administranda imposita. Ac primum quidem de senatu verba faciamus.

#### De senatu.

Senatus Atheniensium non singularis ab aliis erat selectus magistratus sed compositus ex iisdem ac comitia viris, quos populus cunctus elegerat, et in eundem omnes legi poterant qui in comitiis rebus publicis consulebant atque uni ex tribus prioribus a Solone institutis classibus adscripti <sup>1)</sup> erant. Ex Solonis tempore usque ad Clisthenem electi sunt quadringenti senatores, ex tribus quatuor Ionicis centeni, omnibusque illo munere fungi licebat, qui triginta annos nati integra civitate erant. <sup>2)</sup> Ante Clisthenem senatores suffragiis <sup>3)</sup> nominati sunt, ille autem sorte <sup>4)</sup> eos creari iubebat et quingentos quidem, quinquaginta ex singulis decem tribubus; sed cives quartae classis etiamtum exclusi erant. Creatis examen (*δοκιμασία*) subeundum erat atque qui in illo non probati erant, illi remoti aliique eorum loco creati sunt. Quum munus deinde subirent probati, jus iurandum dederunt omnibus se viribus patriae salutem consulturos esse. Senatus ita ex comitiis i. e. ex cuncto populo, penes quem summa omnium rerum tum erat potestas, electus de omni-

<sup>1)</sup> Plut. Sol. c. 19.

<sup>2)</sup> vid. Xenoph. memorab. I 2. 35.

<sup>3)</sup> Aristot. II. 9. 9.; sic iudico, Tittmannus non censet cives quartae classis esse exclusos.

<sup>4)</sup> De senatoribus legendis confer Harpocrat. v. *ἐπιλαχών*.

bus, quaecunque erant, rebus agebat. Sed quod ad populum erat ferendum id antea consulebat senatus neque quo tempore populi imperium florebat, ad eum quidquam ferri potuit nisi quod antea erat probatum a senatu.<sup>1)</sup> Ex illo deinde quidam creati sunt, qui pecunias colligendas, vectigalia pro bonis publicis, metallis ceterisque omnibus solvenda curarent. Erant autem illi non solum a senatu creati,<sup>2)</sup> verum etiam semper sub ejus potestate, neque raro fiebat ut, quum summa de pecuniis administrandis penes senatum esset<sup>3)</sup> potestas, judiciorum quoque interdum officia essent suscipienda, iisque liceret mulctam quingentaram circiter drahmûm reis imponere.<sup>4)</sup> Etiam equites et classes belli tempore armandos senatus curavit,<sup>5)</sup> externarum gentium legatos accepit et incomitia introduxit, bello exorto etiam duces de rebus militaribus ad eum referebant;<sup>6)</sup> omnium autem quae fecerunt senatoribus ratio erat reddenda, neque tamen si quis munere male functus erat potuit puniri, — sic nobis, quum nihil de hac re traditum inveniamus, est conjiciendum, — ille puniebatur a senatoribus ipsis, removebatur enim. Omnis senatus autem, per annum magistratu probabiliter perfunctus corona myrtea ornatus est.

Quibus rebus cognitis priusquam ad comitia transeamus, de ritu in senatu pauca dicenda videntur. Quum quingenti senatores essent creati ab initio sacrificium (*εἰσιτήρια*)<sup>7)</sup> faciebant, postea autem quotidie in senatum conveniebant; sed quum molestum fuisset si quingenti quotidie per totum annum in curiam (*βουλευτήριον*) convenissent, ex tribu quaque

---

1) Ex Aristoph. Thesmoph. vers. (372 et seq.) haec res intelligi potest; confer Demoth. c. Leptin. 541. et Plut. Sol. 19: *ἄνδρας (βουλευτάς) οὓς ἔταξεν προβουλευέν τοῦ δήμου καὶ μηδὲν ἔαν ἀπροβούλευτον εἰς ἐκκλησίαν εἰσιφέρεισθαι.*

2) Ejusmodi magistratus sunt: *πράκτορες, ἀποδέκται, ταμίαι, ἑλληνοταμίαι λογίσται εὐθυνοί.*

3) Conf. Boeckh Staatshaushaltung I. pag. 201 et seq.

4) Vid. Demosth. c. Timocrat. pag. 145.

5) Corp. Inscript. n. 76.

6) Xenoph. Hellenic. I. 7. 3.

7) Conf. Suid. voc. *εἰσιτήρια.*

quinguageni nominati sunt, qui primum locum (*πρυτανεία*<sup>1)</sup> tenerent per tiginta quinque vel sex dies; anno intercalari per duodequadraginta vel undequadraginta, et ut semper adessent, in curia (*θόλος*)<sup>2)</sup> coenarent. Quo ordine tribus principatum tenerent, quotannis sorte instituebatur. Quibus ex quinquaginta senatoribus unus sorte epistata<sup>3)</sup> lectus est, qui custodiebat claves templi in quo pecunia publica reposita erat praeterea sigillum publicum; is quoque novem proedros e singulis tribubus sortiebatur excepta tribu, cujus tunc erat prytania, rursus ex his novem sortiebatur unum epistatam; eundem bis esse epistatam non licebat. Prytanes autem quotidie in senatu aderant diebus festis exceptis;<sup>4)</sup> in consiliis autem epistata primum locum tenuit<sup>5)</sup> usque dum epistatae novem proedrorum munera data sunt. Sed quo tempore hoc factum sit, accuratius dici non potest. Ex omnibus quae memoravi, apparet illos quingentos summum magistratum fuisse, sed tamen iis non licebat suo iudicio sententiam aliquam ferre; tantum in maxime necessariis rebus a populo iis hoc jus concessum videtur. Ejus modi aliquid commemorat Andocides in orat. *περὶ Μυστηρίων* (pag. 3) fere ab initio: *ψυφισαμένης* (quo verbo alioquin de comitiis scriptores utuntur) *δὲ τῆς βουλῆς*, sed addit: *ἣν γὰρ ἀντοκράτωρ*. Quae senatus ante consuluerat (*προβουλεύματα*) ea si non a populo probata erant, legitima non erant, ac mos adeo erat ut senatus consultum, si non ab iisdem senatoribus ad populum ferretur, a quibus esset datum, etiam ad senatores deinde nominatos deferretur et ab iis iterum deliberaretur. Quingentis igitur consulendi tantum potestas a populo erat data, summum autem rerum discrimen (*κύριον τῆς πολιτείας*) sibi ita servavit, ut nihil nisi ex suo arbitrio fieri posset; anno peracto postquam senatores priores sacramento soluti aliique creati sunt sacrificium factum est et novi deinde senatores magistratum inierunt.

1) ibidem voc. *πρυτανεία*.

2) Pollux VIII. 155, *θόλος ἐν ἣ συνεδείπνουν κτλ.* Harpocr. Photius.

3) vid. Pollux VIII, 96. Etymol. Magn. Suid. voc. *ἐπιστάτης*.

4) Pollux VIII. 95: *βουλαὶ ὁσημέραι πλὴν ὅταν ἀφετός τις ᾖ*.

5) Vid. Harpocrat. voc. *πρυτάνεις*.

B. De comitiis.

In comitiis ea quae senatus ante consuluerat, probanda, erant; quae non probata effici non poterant. Atque ab initio quidem una concio in prytania quaque legitima (ἐκκλησία κυρία)<sup>1)</sup> erat, sed haud ita multo post negotiis auctis cum ea non sufficeret tres novae νόμοι ab initio nominatae mox tamen ut prior illa κυρία additae sunt simulque institutum videtur quibus diebus haberentur. Sed id quidem non satis certiores facti suspicari tantum possumus, nam, quod Suidas de comitiis legitimis tradit<sup>2)</sup> non certum habemus, ac propterea quidem quod nemo illo excepto simile aliquid commemorat. Quod de quattuor legitimis dixi concionibus, esse eas certis diebus habitas non ita est intelligendum ut accipiamus, certos in omne tempus institutos esse dies, sed in unum annum vel in unam fortasse prytaniam. Certos omnino dies antea dictos esse ex eo, ut opinor elucet nomine quo appellata sunt, comitia non legitima (κατάκλητοι sive σύκλητοι) quae sic nominata sunt quod ad ea per praeconeum etiam cives ex agris convocabantur.<sup>3)</sup> Comitia in Pnyce<sup>4)</sup> adversus Areopagum<sup>5)</sup> sita habebantur et ut jam in priore capite de senatu verba faciens attuli, cives ab epistata solo ad ea invitabantur. Ac si Thucydides (II. 59) dicit a Pericle duce (στρατηγός) convocatum esse populum, id modo ita est intelligendum ut dux ab epistata petere posset, ut populus convocaretur. Quo die comitia haberentur signo quodam nuntiatum est;<sup>6)</sup> locus quo conveniebant plane erat obseptus neque quidquam apertum nisi aditus ad quem lexiarchi et triginta eorum ministri stabant qui cave-  
rent, ne quis, cui non licebat, introiret, neve quisquam ante comitia finita exiret. Ac primum quidem postquam populo

1) Confer Pollux XIII. 95, Harpocrat. voc. ἐκκλησιὰ κυρία, ibidem Photius.

2) Suidas voc. ἐκκλ. κυρ. vide quoque Bernhardy in annotat. n. I.

3) Pollux VIII. 95. Photius voc. ἐκκλ. κυρ.

4) De Pnyce confer: Journal des Savants 1853, Decembre, et Forchhammer, Zeitschrift für Alterthümer.

5) Pollux 8. 132.

6) Schol. Aristoph. Tesmoph. v. 278. ὅτι ἔμελλε γενέσθαι ἐκκλησιὰ σημεῖον εἰδίθετο.

convocato sacrificium (*περίστυα*)<sup>1)</sup> factum est, a praecone recitabantur quae senatus antea consuluerat; quibus probatis verba haecce addita sunt: *γνώμη τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου* et res sic dijudicata erat. Saepe autem populus de qua re agebat, in disceptatione erat et tum quidem cuique, qui erat integra civitate, licuit sententiam suam ferre.<sup>2)</sup> Qua disceptatione finita epistata jubebat populum suffragium inire (*χειροτομία*) et praeconem ea quae ita constituta erant referre tempestate autem exorta comitia interrumpiebantur et in posterum diem differebantur.<sup>3)</sup>

Negotiorum duo erant genera, quae alia spatio temporis certo intermisso in legitimas quattuor cujusque prytaniae ecclesias distribuebantur, alia extra ordinem tractabantur. Atque in prima quidem deliberabatur, lexne vetus in posterum posset probari an mutaretur aut plane tolleretur necesse esset. Quum populus veterem legem tolli voluisset, ex iudicibus quidam (*ρομοθέται*) nominabantur qui rem inquirerent et cum iis qui veteris legis defensores instituti erant certarent; cetera sicuti in causa acta sunt.<sup>4)</sup> In prima cujusque prytaniae concione inquirebatur utrum magistratus munere probabiliter essent functi, quodsi non visum est, ab eo remoti sunt (*ἀποχειροτονεῖν*);<sup>5)</sup> cogitabatur deinde an civitatis fines satis tuti essent et frumento necessario in urbe satis esset provisum.<sup>6)</sup> In secunda concione de libellis et publicis et privatis agebatur;<sup>7)</sup> tum in tertia externarum civitatum legati, quorum tamen de rebus prytanes jam antea egerant a populo recipiebantur; in quarta denique actum de rebus divinis;<sup>8)</sup> sed in his omnibus concionibus pro tempore etiam aliae res praeter eas quas commemoravi tractatae sunt. Neque raro fiebat ut in rebus necessariis extra ordinem comitia haberentur (*κατάκλητοι* sive *ὄγκλητοι*) vel adeo in maxime necessariis — quod

1) Aristoph. Ecclesiaz. ver. 284. (ed. Meinecke).

2) Aeschines c. Timarch §. 28. *ἐάν τις λέγη κτλ.*

3) Aristoph. Acharn. ver. 169—171. (ed. Meinecke).

4) Ex Demosthen. orat. c. Timocrat. (§. 20) rei ordo intelligitur.

5) Pollux VIII. 95., confer etiam Harpocration. voc. *ἐκκλησία κυρία*.

6) Confer Harpocrat. voc. *ἐκκλησία κυρία*.

7) Vid. Pollux VIII. 95.

sane rarissime fiebat — summa potestas ex populi voluntate data est senatui, qui tum *βουλῇ ἀποκράτωρ*<sup>1)</sup> vel *κυρία*<sup>2)</sup> nominatus est. Sed sicuti cuncti populi solum erat de magistratibus judicare et ejus solum arbitrio aliquis a magistratu removeri poterat, sic etiam non singulis sed cuncto tantum populo licebat a magistratibus rationem repositum et bene de republica meritos praemiis ornare. Atque magistratus et cives quidam corona maximam partem ornati sunt et rarissime tantum alicui una cum prytanibus in prytaneo cibus praebitus est; peregrini contra civitate donati sunt sed pristino tempore ii tantum qui in Attica habitabant, postero etiam alii.<sup>3)</sup> Quum igitur de his rebus, de pace, bello, societatibus cum populis externis faciendis, de acceptis et datis pecuniis populus ipse decerneret, quamquam nonnulla concessit magistratibus, tamen ipse semper summus magistratus erat.

### C. De judiciis.

Gravissimum omnium, quos populus ex diuturna cum optimatibus discordia fructus percipere poterat, assecutus est eo, quod omnibus aequa juris dictionis potestas concessa est; optimates enim quum eo munere ex sua voluntate administrassent et illis, qui ab ipsorum partibus stabant maxime favissent, discordia inter plebem et optimates exorta est, in qua plebs illis paullatim oppressis petiit, ut leges a Solone scriberentur et aequo omnes jure ad juris dictionem exercendam admitterentur. Itaque Solon plebis voluntate leges composuit iisque praescipsit, ut iudicium magistratum omnes, etiam quartae classis cives, qui ad alia munera creati non poterant, adipiscerentur.

Quae iudiciorum institutio, quum populus paullatim omnia in suum iudicium vocaret, haud minime conferebat ad eam, quam Periclis aetate postea invenimus populi potestatem excolendam. Narrat Plutarchus (Solonis vit. cap. 18.) juris dictionis jus ab initio quidem parvi aestimatum esse, mox

<sup>1)</sup> Andocid. d. Mysteriis p. 3. §. 15.

<sup>2)</sup> Demosthen. T L §. 154.

<sup>3)</sup> Confer Schoemann; De comitiis II. 9. confer etiam Westermanni De publicis Atheniensium honoribus ac praemiis commentatio.

autem magni et gravissimas causas ad iudices esse perlatas; atque Aristoteles prodit in libro qui est de republica, iudiciorum magistratum quem ex omnibus civibus optime Solon composuerit, potentissimum fuisse ceterosque magistratus illi de suis quemque rebus administratis rationem reddere debuisse. Et Aristoteles et Plutarchus id commemorantes in animo habent heliastarum dicasteria ac propterea quidem credendum videtur institutionem quae etiam posteriore rationis popularis tempore fuerat jam a Solone factam esse; sed tamen dicasteria non statim ab initio eam quam quum vel comitiis praeesent, potestatem habebant. De iudiciis vero, quamquam nobis non proposuimus res Atticas forenses, quomodo eas apertis argumentis et oratorum libris cognovimus accuratius describere, in universum tamen nobis pro consilio nostro dicendum videtur, nam iis ipsis quum Areopagitae optimatum nobilissimi auctoritate paulatim privati essent, populi, ut jam dixi, imperium maxime est auctum.

Nihil igitur opus videtur esse ut dicam de accusationibus propter necem comparatis, quae quinque passim locis ab areopagitis et ephetis agebantur, nihil de nautodicis, de demorum iudicibus qui primum quidem triginta<sup>1)</sup> tum quadraginta demorum res leviores ad ministrarent, quae decem drachmum pretium non excederent, nihil de iudiciis quae saepius ex viris rerum, quaecunque agebantur, peritis compisita sunt, ita ut omnibus his praetermissis de heliastarum dicasteriis et de diaetetis pauca addam necesse sit. Heliaeae, summi Atheniensium iudicii<sup>2)</sup> prima initia a Solone ducenda sunt, nam antea areopagitae et ephetae quum nonnulli tantum magistratus plus minusve in iudiciis valerent, soli fere iudices fuerant; partem quidem ejus, quam antea potestatem habebant, etiam post Solonem servaverant, sed heliaeae tamen illis superior erat quae quum aliqua res ad ipsam esset perlata omnes iudicum sententias pervertere potuit. Ex quo Clisthenes principatum in civitate tenebat, areopagitae aliique magistratus in iudiciis, accusationibus exceptis ob necem com-

1) Vide Pollucis Onomastic. VIII. 100, Photii vocab. *τριάκοντα*.

2) Confer Lexicograph. voc. *ἡλιαία*.

paratis nihil valuisse nisi res heliastis praeparare atque de eo quidem tempore, ex quo eorum conditio ita mutata est pauca sunt nobis dicenda. Etiam si, quum quae Plutarchus (vit. Sol. 18) dicit: *Καὶ γὰρ ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρῖναι ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκεν τοῖς βουλευμένοις* non dubitanda videantur, satis certe heliaeam a Solone conditam esse possumus accipere: tamen ex illo loco id tantum intelligimus magistratus ab initio quidem in judiciis valuisse, nihilominus autem licuisse reo cuique ad dicastarum iudicium provocare, ita ut post Solonem archontibus aliisque magistratibus nihil aliud relinqueretur quam ut litigantes inquirerent;<sup>1)</sup> sed posteriore demum tempore heliaeam ita est instituta sicuti nunc eam cognoscimus et postea quoque iudicum numerus est auctus; nam numerus quinorum milium iudicum jure jurando obstrictorum et vicariorum mille non accommodatus Solonis institutis est, neque persuasum praeterea mihi habeo omnino fieri potuisse ut Solonis tempore tot iudices fuerint, quoniam eorum numerus cum armatorum civium numero comparatus major videtur neque, ut tum tot iudices essent necesse fuisse puto. Concinit contra ille quinorum milium iudicum et mille vicariorum numerus decem Clisthenis tribubus, nam, quum ille populo potestatem parasset etiam ab ipso Solonis institutum magis excultum et ad eam quam deinde habuit vim sublatum esse opinor.<sup>2)</sup> Creatos autem esse heliastas et porrectis manibus (*χειροτονία*) et sorte traditur; sed illam rationem priorem fuisse constat, altera eo demum tempore, quo ceteri quoque magistratus sorte creabantur, videtur instituta; heliastae autem erant viri ex populo electi, quibus iudicia in singulos annos imponerentur, atque erant eorum quidem quina milia et mille vicarii. Quorum quisque jure jurando dato<sup>3)</sup> tabellam cui ipsius nomen et pars, in qua munere suoungebatur inscripta erant accepit.<sup>4)</sup>

1) Confer Suid. voc. *ἀρχων*.

2) Confer Bergk. et Saupp. in *Verhandlung der Jenaischen Philol. Versammlung* 1846.

3) Jusjurandum invenitur apud Demosth. c. Tim. §. 149—151.

4) Confer Ross Demen (ed. Meier) v. Attina pag. 54. 57. 98. Corp. Insc. Gr. I. p. 341.

Omnis heliaea distributa erat in decem dicasteria<sup>1)</sup> eo consilio, ne in causa leviore quaque agenda omnes iudices convocarentur necesse esset, quorum cuique licebat causam dijudicare; sed sicuti saepe in gravioribus rebus agendis fiebat, ut duo vel tria decasteria convocarentur, sic alias quoque ut in levioribus rebus ne unum quidem dicasterium adesset, sed quadringenti vel ducenti<sup>2)</sup> tantum ex uno dicasterio convenirent.

In dicasteriis omnes quaecunque erant tractabantur res; in iisque solum quaestio solvi potuit sed etiam causas dijudicatas tantum esse iudico, quum quae antea de causa aliqua agenda erant primum quidem magistratus in iisque maxime archontes curarent; postea ubi in iudiciis auctoritatem amiserunt, arbitri (*διατέται*). De iis autem cogitantes idem quod illo Graecae historiae tempore saepius nobis incurrit invenimus: exstant praeter opinionem etsi nusquam nobis traditur, quo tempore primo eorum munus institutum sit. Etiam omnino de munere et aetate eorum qui huic ordini ad scripti sunt, nihil certe traditum accepimus et in qua aetate fuisse debuerint, qui cupierint creari auctores inter se dissentiunt; sunt enim qui sexaginta illos annos esse natos debuisse et sunt qui dicant quinquaginta,<sup>2)</sup> equidem censeo priore tempore primum illud fuisse, postero autem quum sit auctus arbitratorum numerus, etiam quinquagesimum annum ad munus subeundum satis fecisse.

Jam supra dixi heliastas ab initio quidem manibus porrectis tum sorte esse creatos, sed quo tempore primum id factum et omnino sors in magistratibus creandis instituta sit, etiamsi res est gravissima, non satis constat, id tantum certe traditum habemus, sortem esse inter tyrannos expulsos et pugnam Marathoniam primum adhibitam. Illud autem creandi genus Athenis sine periculo exerceri potuit, nam quum officia essent simplicissima civesque saepissime in republica ad ministranda versarentur non erat timendum, ne civis ullus superiorum trium classium, qui jus suffragii haberet inutilis

<sup>1)</sup> Bekker Anedos. pag. 262. Pollux VIII. 123. Demosth. contra Tim. §. 9.

<sup>2)</sup> Confer Pollux VIII. 53.

esset admagistratum aliquem gerendum neve homo indignus qui honore ornaretur nomen profiteretur; ac si nihilominus forte talis creatus esset, *δοκιμασία* in eum potuit adhiberi Quod summum munus alicui sorte mandabatur, archontum dignitas erat; illam paullatim minutam esse jam antea commemoravi et eo quidem id optime intelligitur quod ut exemplo utar jam in pugna Marathonica archon polemarchus inferiorem tenuit locum; non enim ut antea summam ibi imperii obtinuit quum decem strategorum, qui nunquam sorte creati sunt, per unum quisque diem vicissim exercitui praeesset. Herodotus (lib. VI. c. 109.) qui polemarchum Callimachum *τὸν πρῶτον λαχόντα* nominat, omnium primus sortem commemorat. Quem Herodoti locum rerum gestarum recentiores scriptores et litterarum studiosi quos cognovi, ad unum omnes comprobant. Grotio excepto, qui Herodotum suspectum reddit et ab illo ipsius temporis usum ad pristinum translatum esse dicit et ad sententiam suam firmandam addit, polemarchum omnium quasi summum fuisse strategum; sed probare illum non possum, nam ut Herodotus dicit, nihil praeterea nisi idem atque strategi jus suffragii polemarchus habebat et in pugna dextero cornu praeerat. Haec invenimus apud Herodotum qui (lib. VI c. 110) summam imperii quotidie alii stratego esse datam sed nusquam etiam polemarchum illius muneris participem fuisse refert. Sicuti summum imperium sic etiam consilii militaris praesidium, quod si Herodotum sequimur nunquam erat penes polemarchum, mutatum videtur. Sed Grotius omnino censet illo tempore non tanta Athenis auctoritate fuisse popularem potestatem ut jam in usu fuerit, et ad sententiam suam probandam refugit ad Plutarchum (Arist. I) ubi legimus: *καὶ μὴ ἄρξαι γε τὸν Ἀριστέιδην ὁ Ἰδομενεὺς οὐ χναμεντὸν ἀλλ' ἐλομένων Ἀθηναίων ἡρώων*; quo quidem elucet Aristidem anno pugnam Marathoniam sequenti suffragio populi archontem esse nominatum. Sed quod ex eo conjicit Grotius eo tempore Athenienses sorte nondum usos esse, probare non possum, contendo contra aliud id esse argumentum quo contrarium demonstratur: etenim, si Athenienses sorte tum non usi essent, omnino non singulariter commemorari opus fuisset, Aristidem suffragio populi magistratum

esse adeptum. Plutarchus mihi quidem ostendere voluisse videtur Aristidem quod optime de republica meritus fuerit, extra ordinem non sorte sed suffragio populi archontem esse factum. Haec hac tenus; quum longum sit plura de ea re afferre et nunc quidem a Clisthene sortem institutam omnes fere consentiant atque id eo illum fecisse consilio, ne quis in posterum, sicuti Isagoras anno quingentesimo septimo archontis dignitatem, sibi ambitu magistratum paret.



## V I T A.

---

Ego Johannes Friedericus Lenz natus sum Buchwitzii vico in Saxonica provincia prope Soltquellas urbem sito a. MDCCCXXXIX a. d. XII cal. Mai. patre Johanne Friderico Lenz, matre Dorothea Elisabetha, e gente Recklingia, quos adhuc superstites maxime laetor. Fidem profiteor evangelicam. — Primum quidem vici nostri scholam frequentavi et anno quarto decimo demum aetatis meae discipulus Soltquellensi gymnasio adscriptus fui; per sex autem annos ibi in studiis colendis versatus Magdeburgias in gymnasium cathedrale transmigravi, unde humanissimo et doctissimo Wiggerto direttore post duos annos et sex menses maturitatis testimonium adeptus, ut rerum historicarum maxime studiis me traderem, Halas me contuli. In hac litterarum sede per tria semestria in Leonis, Hertzbergii, Rosenbergeri, Erdmannii Bergkii scholis versatus Berolinum profectus sum ad studia continuanda. Interfui ibi scholis Droysenii, Ohmii, Arndtii, Mommsenii, de Brugschii, Werderi; post tres autem semestria morbo gravi implicitus coactus sum domum redire ad valetudinem recreandam neque ante annum MDCCCLXV denuo me studiis tradere potui. Halas iterum profectus frequentavi per unum semestre scholas Bernhardyi, Bergkii, Schalleri, Duemmlerii, Hertzbergii; praeterea Duemmlerii seminario historico per tria fere semestria participi mihi esse licuit. His viris omnibus qui benevolenter mea studia rexerunt quam maximas ago gratias.

---